



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Simeon Salus Conf. 1. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

I. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 417  
re: ipse, cum Italiam peteret, agræ  
mulierculæ equum cecidit, & pedes Apen-  
nium conscendit. Elephantiacorum cum  
& corpora & animos curaret, reddente  
ex his uno cum vomitu Divinum Epu-  
lum; ore suo omnia excepit, nec mul-  
tò post cognovit, sub agrò illo *Chri-  
stum* latitasse virtutis suæ exploratorem.  
Dum vixit, nulli unquam quidquam  
*Mariæ* nomine petenti denegavit, ideo-  
que mortuum nonnemo sinu *Magnæ Ma-  
tris* velut infantem fovèri vidit, & ne-  
ctare, quod ipsa illi *Virgo* libavit, ine-  
briari. Quid hic agitis Sodales Mariani?  
Matrem esse vestram *Mariam* vultis? pau-  
perum patres este. Et profectò aut filii  
*Mariæ* non estis, aut Fratri *EBERHARDO*  
sinum invidetis. Ex tom. 2. *Henric. Ca-  
nis.* & tom. 1. *Bar. S.*

*Utinam sapiamus ad præsentis vitæ mo-  
derationem! utinam intelligamus ad præ-  
teritæ correptionem! utinam devotâ in  
Deum fide provideamus, ut felicem ha-  
beamus, ipso miserante, consummationem!*  
S. Bernard. in serm. 2. de SS. Pet. & Paul.

S. SIMEON SALUS CONF. I. Iulii.

Quisquis vestium splendorem qua-  
ris, cum *SIMEONE*, si oculos ha-  
bes, videbis; si animum etiam indues.  
Nempe cœnobium ingressò cum adoles-  
centulus nuper religiosâ veste indutus.

Dd.

cc.

418 VITÆ SANCTORUM. I. Iulii.  
occurisset, vidit caelestem inter comita-  
tum multo lumine insignem & Angelico  
habitu regiaque coronâ exornatum ince-  
dere. Quare eandem dignitatem cum  
*Ioanne* fratre tam diu ambivit, dum uter-  
que est potitus. Sed & Philosophum vi-  
desis in uno SIMEONE geminum; Hera-  
clitum inquam & Democritum, sed  
Christianum. Nemo alius tam doctè  
aut flendo risit, aut ridendo deslevit  
mundi insaniam. Nempe Emesam ur-  
bem ingressus mortuumque canem fune  
trahens omnes pueros post se, mox om-  
nem civitatem traxit, fuitque Sapien-  
tia Magistro risus, plausus; convitia &  
verbera, merces, & ingens quidem ni-  
hil aliud querenti. Interea risum comi-  
rata sunt compluria miracula. daemones  
mali alapâ pulsi, cantu proscripti; carbo-  
nes sive in pallio, sive in manu, innoxii  
splendorem virtutis prodidere. oculi si-  
napi, aceto, allioque curati, hæretici  
& in fames mulierculæ sapere à Stulto  
docti, qui scilicet jam oracula etiam da-  
bat. Et fuit cum flagello urbis columnas  
aliquamultas castigavit, illud addens:  
*State: saltandum vobis est.* & ecce salta-  
runt illæ terrâ movente, sed steterunt  
cadentibus aliis. Pueros alio tempore  
quamplurimos perbenignè salutans in  
ludo supplicavit pro his Magistro, ne cæ-  
derentur, quod longum illis iter instaret.  
Et hoc eis nimirum mors indixit paulò  
post

2. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 419  
post per urbem grassata. SIMEONIS quo-  
que funus cum pauculi homines cura-  
rent, adfuere Angeli, & , lessum an epini-  
cium? cantarunt totius orbis MIMO. Sur.

*Per Christum sensibus invocatus abjecta  
seculi huius figurâ, formam tuam in formam  
tui reduc Salvatoris, ut novitas sensuum  
tuorum in tuis actibus elucescat, & celestis  
homo celesti habitu, jam gradiatur in ter-  
râ. S. Pet. Chrysol. serm. 120.*

VISITATIO B. MARIE V. 2. Iulii.

**R** Edibat in astra Numinis ad MARIAM  
legatus, quem venturum terris nun-  
tiaverat, cælo venisse nuntiaturus. At  
*Virgo Deo* jam plena visendi ad cogna-  
tam Elifabetham studio in viam se de-  
dit. Hanc monstravit, qui sub utero i-  
vit comes, ingens MATRI, sed dui-  
cis sarcina. Hic viæ laborem tempera-  
bat, hic properantibus pedibus alas ad-  
debat, ut expeditior nunquam iverit MA-  
RIA, quàm sic onerata. Jam sub aspectum  
mutuum venerant geminæ cognatæ, jam  
in amoris vincula brachia coiverant,  
cum gaudio gestiens in Elifabetha infans  
*Verbum* in utero latens ex utero prodidit,  
jam tum vox clamantis. Tunc novo pro-  
digio virginitas sterelitati, & sterilitas  
virginitati fœcunditatem est gratu-  
lata: tunc, quas texere Angelus cœ-  
perat MARIAM laudes, pertexere Elifa-  
berthâ,

D d 2.